

teor, hoc vno, verum nullo hic aruspice,
 sed arte & prouidentia Imperatoria opus
 erat. Itaque nolite mihi hoc prodigium
 narrare, vocate res propriis nominibus,
 pauorem tristitiamque dicite. Sed quis e-
 xitus? Dux oppressus, egregio adolescen-
 te filio, antè oculos patris interfecto, le-
 giones vestræ ad sarietatem cruentissimi
 hostis cæsæ, signa Romana Babylonis
 postibus affixa, disposita in mœnibus
 truncata capita, & informi limo obruta,
 & fluminibus iactata cadauera, latius ho-
 nos & omnis flos militiæ superbo pede
 calcatus, denique clades, quanta raro vn-
 quam aliàs ab externo hoste P. R. inue-
 eta, quis hæc nescit? quis autem inter hæc
 aruspiciæ iocus? turbatus hoc loco Va-
 lerius: Vellem quidem (inquit) placidius,
 sed quod relatu verū est, si Deorum præ-
 monitus excandescunt, sic humana consi-
 lia castigantur, vbi cœlestibus se præfe-
 runt. Optimè, inquam, si non commutati
 paludamenti, vel auersæ aquilæ prodi-
 gium spretum, sed auaritiæ consilium ca-
 stigari putas, dolesque, in qua vrbe non
 multis antè seculis, oblatis vltro muneribus,
 nullum vsquam patuit receptacu-
 lum, in ea tam multum auaritiæ licuisse,

C. j.